

DESIDERI ERASMI
ROTERODAMI
CHARON (1523)



Circā annō 1520 Eurōpa, maximē vērō pars eius septentrionālis, odiis bellisque lacerātur. Martīnus Luthērus ecclēsiā refōrmāre volēbat. Contrā quod Pontifex Maximus – ille maximus inter sacerdotēs Chrīstiānōs putātur – unā cum Sacri Rōmāni Imperiī prīncipe resistēbat.

re-fōrmāre: fōrmam mutāre




ecclēsia, ae f

Eōdem tempore, quō rēgēs terrārum Eurōpae validissimī inter sē bella gerēbant, Desiderius Erasmus Roterodāmus tāle colloquium scribit ut populōs ad pācem adhortārētur:

in Tartarō cum Chārōne, cuius officium est umbrās mortuōrum trāns Styga trānsferre, colloquitur genius Alastor. Hodiē Alastor fēlicia nūntiāre properat: mox valdē occupātus Charōn erit bellō per tōtum orbem illātō.

Tartarus: terra mortuōrum
Chārōn, Chārōnis *m*
Styx, gos *f*: fluvius in Tartarō

genius, *i m*: daemon 
Alastor, oris *m*
occupātus ↔ otiosus
in-ferre -tulī -lātum

Persōnae: Chārōn, Alastor

CH. Quid ita properās gestiens, Alastor?

gestire: laetitia oculis et manibus demonstrare

AL. Opportūnē tū quidem, ō Charōn. Ad tē properābam.

oppotrūnē: ad tempus

CH. Quid novae rei?

AL. Nuntium ferō, tibi Proserpinaeque laetissimum futūrum.

nūntium, i n: quod nūntiatur

CH. Effer igitur quod fers, tēque exonerā.

ef-ferre -tulī -lātum < ex + ferre
ex-onerāre = liberāre < onus, -eris n

AL. Fūriae nōn minus gnauiter quam fēliciter gessērunt suum negōtium, nūllam orbis partem nōn īnfecērunt malīs tartareīs, <..> bellīs, <...> pestilentiīs, adeō ut plānē iam calvae ēmissīs colubrīs sint, et exhaustae venēnīs obambulent, quaerentēs quidquid usquam est vīperārum et aspidum, quandō tam glabrae sunt quam ōvum, et pilum nōn habent in capite, neque quidquam in pectore succī effīcācis.

Fūriae, ārum f (g)naviter = industriē
negōtium gerere: negōtium agere
in-ficere < in + facere = facere
tartareus < Tartarus adeō = tam
pestilentia, ae f: morbus quī multōs simul afficit
exhaustus = fessus
ē-mittere -mīsī -missum < ex + mittere
venēnum: cibus vel pōtio quī mortem fert
ob-āmbulāre: circum āmbulāre

Proinde tū fac, cymbam ac rēmōs appārēs. Mox enim ventūra est tanta umbrārum multitudō, ut verear nē nōn sufficiās omnibus trāsmittendīs.

glaber -bra -brum: quī capillōs nōn habet pilus, i m = capillus




colubra = vīpera = aspis, idis f
efficax < ex-facio succus efficax: sanguis

proinde = ergō
ap-parāre < ad + parāre



cymba, ae f

suf-ficere < sub + facere:: satis esse



glaber -bra -brum

Fūriae Oresten persequuntur

CH. Ista nōs nōn fūgerant.

nōs nōn fūgit: nōn nescīmus

AL. Unde rescierās?


re-scīre

CH. Ossa pertulerat ante bīduum.

Ossa, ae f = Fāma bīduum: duō dies

AL. Ut illa dea nihil est vēlōcius! Sed quid tū igitur heic cessās relictā cymbā?

heic = hīc




trirēmis, is f

CH. Ita nīmīrum rēs ferēbat. Hūc profectus sum, ut mihi comparārem validam aliquam trirēmē. Nam mea cymba iam vetustāte putris <...> nōn suffēcerit huic operī, sī vēra sunt quae nārrāvit Ossā.

nīmīrum = scīlicet

com-parāre = parāre; emere

vetūstas, ātis f < vetus
puter -tris -tre: tam vetus ut in partes solvitur



naufragium, i n

Quaquam quid opus erat Ossā? Rēs ipsa compellit. Nam naufragium fēcī.

quaquam = quamquam
compellere = cōgere
naufragium facere: naufragium patī
distillāre < stilla, ae f

AL. Nīmīrum tōtus distillās; suspicābar tē redīre ā balneō.

suspicāri: credere incipere



CH. Īmō ēnatāvī ē Stygiā palūde.

īmō = īmmō ē-natāre < ex + natāre
palūs, ūdis f: aqua quae nōn movetur

AL. Umbrās ubi reliquistī?

CH. Natant cum rānīs.

rāna, ae f



AL. Sed quid nārrāvit Ossa?

CH. Trēs orbis monarchās capitālibus odiīs in mūtuum exitium ruere, nec ūllam orbis Chrīstiānī partem immūnem esse ā bellī Furiīs: nam trēs illī reliquōs omnēs pertrahunt in bellī cōnsortium. Omnēs esse tālibus animīs, ut nēmō velit alterī cēdere, <...> pestilentiam ubīque saevīre, apud Hispānōs, apud Britannōs, apud Italōs, apud Gallōs.

monarchus, i m = rēx capitālis, e < caput
in mūtuum exitium ruunt: alter alterum
occidere vult exitium, i n = mors

immūnis, e = integer

per-trahere: maximē persuadere
cōnsortium, i n: cum omnes conveniunt

saevīre: saevus esse

Ad haec novam esse luem ex opīniōnum varietāte nātā, quae sīc vitiāvit omnium animōs, ut nūlla usquam sit

luēs, is f: mala fortūna varietās f < varius
opīnio, ōnis f = sententia
vitiāre < vitium : peiōrem reddere

sincēra amīcitia, sed frāter frātrī diffīdat, nec uxōrī cum marītō conveniat. Spēs est, hinc quoque nascītūram ōlim magnificam hominum perniciem, sī rēs ā linguīs et calamīs ad manūs pervēnerit.

sincērus = vērus
diffīdere, -fīsus sum ↔ credere

pernicies, ei f = mors, exitium

AL. Haec omnia vēriſsimē nārrāvit Ossā. Nam ipse plūra vīdī hīs oculīs, assiduus comes et adiūtor Fūriārum, quae nūllō tempore magis dēclārārunt sē suō dignās nōmine.

assiduus: quī diligens rem agit
adiūtor, ōris m < ad-iuvāre
dēclārārunt = declaravērunt
dē-clārāre: dēmōnstrāre

CH. Atquī perīculum est, nē quis daemōn exoriātur, quī subitō adhortētur ad pācem; et sunt mortālium animī mūtābilēs. Nam audiō, apud superōs esse polygraphum quendam, quī calamō suō nōn dēsinit īnsectārī bellum et ad pācem cohortārī.

atquī = sed ex-orīrī
ad-hortārī = hortārī ad rem feciendam
mutabilis < mutāre

poly-graphus: quī multa scribit

īnsectārī: maledictīs persequī

cohortārī: quam plurimōs hortārī

AL. Ille iam prīdem surdīs canit. Ōlim scrīpsit pācis prōflīgātae querimōniam <...>. Sunt aliī contrā, quī nōn minus iuvent rem nostram, quam ipsae Fūriae.

surdīs canere: pollicērī neque facere

prō-flīgāre: in terram proicere
querimōnia, ae f < queri



cinis, eris m

CH. Quīnam istī?

AL. Sunt animālia quaedam pullīs et candidīs palliīs, cinericiīs tunicīs, variīs ōrnāta plumīs; haec nunquam recēdunt ab aulis prīncipum: īnstillant in aurem amōrem bellī, hortantur eōdem procerēs ac plēbem: 'in Ēvangelicīs illīs concionibus' clāmitant, 'bellum esse iūstum, sānctum, ac piūm'.

cinericius: quī cineris colōrem habet

pluma, ae f = penna

nunquam = numquam

aula, ae f = atrium in-stillāre < stilla

eōdem modō Ēvangelicus < Ēvangelium

procerēs, erum m: prīmī virī in civitate

clāmitāre: saepe clamāre

concio = contio, ōnis f = ōrātio

pius -a -um: quī secundum iūs agit sive fit

Quoque magis mīrēris hominum fortem animum,
clāmitant idem apud utramque partem. Apud Gallōs
conciōnantur 'Deum stāre prō Gallīs, nec vincī posse quī Deum
habeat prōtēctōrem'. Apud Anglōs et Hispānōs 'hoc bellum nōn
ā Caesare gerī, sed ā Deō; tantum praebeant sē virōs fortēs,
victōriam esse certam'. Quod 'sī quis interciderit, eum nōn perire,
sed rēctā subvolāre in coelum, sicut erat, armātum'.

conciōnantur = contiōnantur
contionāri = ante populum oratiōnem dāre
prōtēctor, ōris m: quī dēfendit

praebēre: dare

contionantur quod...
inter-cīdere -cīdi -cīsum = occīdere
rēctā viā sub-volāre = volāre
coelum = caelum

CH. Et habētur istīs tanta fidēs?

AL. Quid nōn potest simulāta religiō? Accēdit hūc iuventūs –
rērum imperītia, glōriae sītis, īra, animus ad id quō
vocātur nātūrā prōpēnsus. Hīs facile impōnitur, nec
difficile perpellitur plaustrum suāpte sponte prōpendēns
ad ruīnam.

religiōnem simulāre: falsam ostendere
imperītia, ae f: vitam nescīre

prōpēnsus = favens
per-pellere = persuadēre
suā-pte = suā prō-pendēre = haerēre
suā sponte: ipse, nullō interpellante



[...]

CH. Sed quae rēs istōs movet, ut tantopere prōmoveant
bellum? Aut quid hinc metunt commodī?

tantopere: tam
promovēre bellum: ad bellum
adhortāri
commodum, i n = bonum



bullā, ae f

AL. Quia plūs ēmolumentī capiunt ē morientibus, quam ex
vīvīs. Sunt testāmenta, [...] bullae multaque alia nōn
aspernanda lucra. Dēnique mālunt in castrīs versārī,
quam in suīs alveāribus. Bellum multōs gignit epīscopōs,
quī in pāce nē terunciū quidem fiēbant.

ēmolumentum, i n = lucrum
testāmentum, i n: id quod homo
moritūrus scrībit de rēbus suis dividendīs
aspernārī = contemnere

alveārium, i n: domus apium
gīgnere genuī genitum = parere
teruncius, i m: assis pars quārta (3/12)
nē teruncī quidem fiēri: parvī aestimārī

CH. Sapiunt.

AL. Sed quid opus est trirēmī?

CH. Nihil, sī velim in mediā palūde rūsus naufragium facere.

AL. Ob multītūdinem?

ob multītūdinem umbrārum

CH. Scīlicet.

AL. Atquī umbrās vehis, nōn corpora. Quantum autem ponderis habent umbrae?

CH. Sint tipulae, tamen tipulārum tanta vīs esse potest, ut onerent cymbam. Tum scīs, et cymbam umbrātilem esse.

AL. At ego meminī vidēre mē, cum esset ingēns turba, nec cymba caperet omnēs, ā clāvō tuō tria mīllia umbrārum pendēre nōnnunquam, nec tū pondus ūllum sentiēbās.

CH. Fateor tālēs esse animās, quae paulātīm dēmigrārunt ē corpore phthisī aut hectīcā extenuātō.

Caeterum quae subitō revelluntur ē crassō corpore, multum corporeae mōlis sēcum ferunt. Tālēs autem mittit [...] pestilentia, sed praecipuē bellum.

AL. Nōn opīnor Gallōs aut Hispānōs adferre multum ponderis.

CH. Multō minus quam caeterī; quanquam et hōrum animae nōn omnīnō veniunt plūmeae.

Caeterum ē Britannīs, ē Germānīs bellē pastīs, veniunt aliquotiēs tālēs, ut nūper perīclitātus sim decem duntaxat vehēns [...]

AL. Ingēns discrīmen.

CH. Quid intereā cēnsēs fierī, cum accēdunt crassī satrapae [...]

AL. Ex hīs quī pereunt in iūstō bellō, nūllōs arbitror ad tē venīre. Nam aiunt eōs rēctā subvolāre in coelum.

CH. Quō subvolent, nesciō: ūnum illud sciō, quotiēs bellum est, tot ad mē veniunt sauciī lacerīque, ut dēmīrer, ūllum superesse apud superōs.

atquī = sed

pondus, eris *n*: rēi gravitās < gravis quantum p. habet? = quam gravis est?
tipula, ae *f*: bēstiola tam levis ut supra aquam currat
onerāre ↔ exonerare < onus, eris *n*
umbrātilis, e < umbra

clāvus, i *m*



pendēre = haerēre

dēmigrārunt = dēmigravērunt
phthisis, is *f*: morbus pulmōnum
hectīca, ae *f*: morbus quō tōtum corpus tam callidum est sicut igni captum
ex-tenuāre: tenuiōrem facere
caeterum = ceterum
re-vellere -vellī -vulsum: repentē auferre
corporeus -a -um < corpus
mōlēs, is *f*: multum ponderis

opīnāri = credere adferre = afferre

omnīnō = plānē plūmeus -a -um < pluma

pāscere -āvi -āstum: pāstor esse; alere




aliquotiēs: aliquandō perīclitārī = experīrī
duntaxat = dumtaxat = nē plūs nē minus

discrīmen, inis *n*: propter id rēs nōn similes sunt

satrapes, ae *m*: princeps provinciae (apud Persās)

saucius = vulnerātus
lacerus: quī multa vulnera accēpit
dē-mīrārī = mīrārī

| | | |
|-----|--|---|
| | Nec solum veniunt onustae crapula et abdomine, verum etiam bullis et sacerdotiis, aliisque rebus plurimis. | veniunt <i>umbrae</i> onustae onustus < onus crapula: vinum cupere abdomen, inis <i>n</i> : cibum cupere sacerdotium, i <i>n</i> : sacerdotis signa |
| AL. | At ista non deferunt secum, sed nuda veniunt ad te. | de-ferre |
| CH. | Verum; sed quae recentis veniunt, somnia talium rerum secum adferunt. | recentis: novissimae somnia, i <i>n</i> : quod dormientes vidimus |
| AL. | Itane gravant somnia? | gravare: gravorem facere |
| CH. | Gravant cymbam meam, quid dixi – gravant? iam demerserunt! | dē-mergere obolus: nummus quem mortuo in os ponunt ut Charoni mercēdem sarcina, ae <i>f</i> = saccus; pondus |
| AL. | Equidem arbitror, si ferant aereos. | aereus -a -um: effectus ex aere, metallo quod pretio tertius est post aurum et argentum |
| CH. | Proinde certum est mihi prospicere de navis, quae sufficiat oneri. | certum est mihi = in animo habeo |
| AL. | O te felicem! | |
| CH. | Quid ita? | |
| AL. | Quia propediem ditescēs. | propediem = mox ditescere: dives fieri |
| CH. | Ob multitudinem umbrarum? | |
| AL. | Nae. | nae : sanē |
| CH. | Si quidem suas opes secum adferant. Nunc qui in cymba deplorant 'se apud superos reliquisse regna [...], aurum talenta innumera', ad me nihil adferunt praeter obolum. Itaque quod iam annis ter mille mihi corrasum est, id totum est effundendum in unam trirēmem. | opes = divitiae dē-plōrāre = maximē plōrāre talentum = 26.2 kg innumerus: qui numerari non potest corrādere -rāsī -rāsūm: paulisper in unum locum contrahere |
| AL. | Sumptum faciat oportet, qui quaerit lucrum. | sūptus, ūs <i>m</i> ⇔ lucrum |

| | | |
|-----|--|--|
| CH. | Atquī mortālēs, ut audiō, fēlicius negōtiantur, quī favente Mercuriō dītēscunt intrā triennium. | negōtiārī: negōtia agere tri-ennium, i n: trēs annī |
| AL. | Sed iīdem dēcoquunt nōnnunquam. Tuum lucrum minus, sed certius. | dē-coquere -coxi -coctum ↔ dītēscere |
| CH. | Nesciō quam certum: sī quis Deus nunc exoriātur, quī rēs prīncipum compōnat, sors haec tōta mihi perierit. | ex-orīrī rēs: (hic): fortūna, fātum compōnere = conficere sors, rtis f: quod fātō datur; fortūna spōnsor, ōris m: quī pollicētur in utramque aurem dormīre: altum somnum habēre = nullā curā gravārī dec-ennium, i n: decem annī sēdulō <i>adverb.</i> = studiōse |
| AL. | Ista quidem dē rē iubeō, ut mē spōnsōre in utramque aurem dormiās. Intrā decennium tōtum nihil est, quod pācem metuās. Ūnus Rōmānus pontifex sēdulō quidem hortātur ad concordiam; sed laterem lavat. Murmuran et cīvitatēs taediō malōrum [...], sed vincent, mihi crēde, [...] Fūriāe. | laterem lavāre: frustrā lāborāre murmurāre: parvā voce loquī taedium malōrum: cum mala sunt molesta |
| | | later, eris m  |
| | Caeterum, quid opus erat hāc grātiā petere superōs? An apud nōs nōn sunt fabri? Certē Vulcānum habēmus. | hāc grātiā = huius rei gratia apud nōs: sub terrā |
| CH. | Pulchrē, sī quaeram nāvim aeream. | |
| AL. | Minimō accersētur aliquis. | minimō <i>tempore</i> accersere = arcessere |
| CH. | Ita est, sed dēficit nōs māteria. | dēficit ↔ sufficit |
| AL. | Quid audiō? Nihil illic silvārum? | illic: suprā terram |
| CH. | Etiam nemora, quae fuerant in campīs Ēlysiīs, absūmpta sunt. | nemus, oris n: silva parva, deō dōnāta campī Ēlysiī: campī beatōrum, quōs eī qui dēgnē aut vīxērunt aut mortuī sunt petunt ab-sūmere = consūmere |
| AL. | In quem tandem ūsum? | |
| CH. | Exūrendīs ereticōrum umbrīs; adeō ut nūper coāctī sīmus ē terrae vīsceribus carbōnēs effodere. | ex-urere ereticus, i m: quī contrā Pontificem Maximum dictis factisque pugnat carbo, ōnis m ef-fodere |
| AL. | Quid? an istae umbrae nōn possunt minōre sūmptū pūnīrī? |   |

| | | |
|-----|--|--|
| CH. | Sīc vīsum est Rhadamanthō. | Rhadamanthus, i <i>m</i> : iudex mortuōrum |
| AL. | Ubi trirēmum mercātūs eris, unde rēmigēs parābuntur? | mercārī = ēmere remix, igīs <i>m</i> : quī remigīt |
| CH. | Meae partēs sunt tenēre clāvum; rēmigent umbrae, sī velint trāicere. | trā-iicere = trans-ferre |
| AL. | At sunt quae nōn didicērunt rēmum agere. | |
| CH. | Apud mē nūllus est eximius, rēmigant et monarchae, rēmigant et cardinālēs suam quisque vicem nōn minus quam plēbēiī tenuēs, sīve didicerint sīve nōn didicerint. | nūllus est eximius: omnes partem capiunt cardināles: prīmī civitātis virī suam quisque vicem = suam partem |
| AL. | Tū fac dextrō Mercuriō fēliciter mercēre trirēmum; ego nōn tē remorābor amplius. Orcō laetum adferam nūntium. Sed heus heus, Charōn. | dextrō Mercuriō = Mercuriō fāvente re-morāri: moram interiicere amplius = plūs Orcus = Plūtō, rēx Tartari |
| CH. | Quid est? | maturāre = properāre |
| AL. | Fac mātūrēs reditum, nē tē mox obruat turba. | reditus, ūs <i>m</i> < red-īre ob-ruere -ruī -rutum: impetum facere |
| CH. | Īmō iam plūs quam ducenta millia offendēs in rīpā, praeter illās, quae natant in palūde. Properābō tamen quantum licēbit. Dīc illīs ‘mē mox adfutūrum’. | of-fēndere -fendī -fēnsū: casū invenīre |